
Digitized by Google







BENEDICTVS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DVdum per fel. rec. Vrbanum PP. VIII. Prædeceſſorem noſtrum accepto, quòd fratres tunc exiſtentes Ord. Eremitarum S. Auguſtini Congregationis Diſcalceatorum nuncupatorum aſſiduis verbi Dei prædicationibus,& Sacramentorum Adminiſtrationibus,alijſque ſpiritualibus exercitijs vberes in Vinea Domini fructus afferebant,idem Vrbanus prædeceſſor, vt Congregatio præfata fælicioribus in dies proficeret incrementis prouidere volens, motu proprio, & ex certa ſcientia,ac matura deliberatione ſuis,vt quicumque per duo triennia continua Vicarij Generalis, Procuratoris Generalis, Definitorum, & Viſitatorum Generalium, Prouincialis, aut Prioris officia exercuiſſet, in tertio triennio immediatè ſubſequenti ab omni exercitio nominatorum Officiorum abſolutus Deo, & animę ſuę vacare teneretur, ſtatuit, & ordinauit, & aliàs proùt vberiùs continetur in ipſius Vrbani prædeceſſoris litteris in forma Breuis deſupèr expeditis, tenoris,qui ſequitur videlicet = Vrbanus PP.VIII.Ad perpetuam rei memoriam.Circumſpecta Romani Pontificis Prouidentia perſonarum ſub ſuaui Religionis iugo Diuini numinis obſequijs mancipatarum præcipuam gerens ſollicitudinem ea ſtatuit, & ordinat, quæ fælici earumdem perſonarum ſtatui dignoſcuntur profutura, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis conſpicit ſalubriter in Domino expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, Dilecti filij fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Congregationis Diſcalceatorum nuncupatorum aſſiduis Verbi Dei prædicationibus,& Sacramentorum adminiſtrationibus, alijſque ſpiritualibus exercitijs vberes in Vinea Domini fructus afferant; Nos, vt Congregatio prædicta fælicioribus in dies proficiat incrementis,opportunè prouidere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris,tenore pręſentiũ ſtatuimus, & ordinamus,vt qui ſpatio temporis,quo quatuor immediatè antecedentia Capitula Generalia celebrata fuere,ad quæcumque Officia Religionis,tam Generalia,ſeù Generalis,ProcuratorisGeneralis,Definitorum,velViſitatorum Generalium,quam etiam Prouincialia, ſeù Conuentualia,Prouinciala-

Digitized by Google

tus nimirùm, vel Prioratus, aùt aliquod eorum electus fuerit, dictaque officia, vel aliquod eorum ſucceſſiuè, etiamſi non vnum ſemper, & continuò, ſed diuerſa illorum, vel plura etiam diuerſo tempore per dictum ſpatium exercuerit, & adminiſtrauerit, non poſſit in Capitulo Generali propediem celebrando, nec ſubindè per triennium immediatè ſubſequens ad aliquod ex pręfatis officijs eligi, ſed quoad ea omnia, & ſingula voce paſſiua dicto tempore careat, ac Deo, & animæ ſuæ vacet; in poſterum verò, qui ſpatio duorum Capitulorum Generalium ſucceſſiuè ad præfata Officia, vel eorum aliquod electus fuerit, in tertio Capitulo Generali, ac per biennium immediatè ſubſequens, ad nullum ex eiſdem Officijs, vel aliquod illorum eligi poſſit, ſed voce paſſiua dicto tempore, quoad ea omnia careat, ac Deo pariter, & animæ ſuæ vacet. Decernentes omnes, & ſingulos, qui officia huiuſmodi, vt præfertur, exercuerint ad illa, vel eorum aliquod contra pręſentium tenorem aſſequenda, & exercenda inhabiles eſſe, & fore, ſicque, & non aliter per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub indignationis, & alijs arbitrio noſtro infligendis pœnis omnibus, & ſingulis dictæ Congregationis fratribus, ad quos ſpectat, & prò tempore ſpectabit, ne eos, qui dicta Officia, vt præfertur, geſſerint, & exercuerint, ad illa de nouo contra earumdem pręſentium formam, & tenorem eligere, ijs verò, quos ſic eligi contigerit officia prędicta acceptare, vel in eis quoquomodo ſeſe immiſcere audeant, & præſumant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Congregationis præfatorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, Ordini, & Congregationi huiuſmodi, illorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi prò illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales idem importantes mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus prò plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam

riam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xviii. Maij MDCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno XII. M.A. Maraldus. Cum autem, ſicut Dilectus Filius Ioannes Iacobus à Sancto Adalberto Commiſſarius, ac Procurator Generalis Congregationis Italiæ, & Germaniæ eiuſdem Ordinis Nobis nuper exponi fecit, ſucceſſu temporis quidam inquieti, & ambitioſi Religioſi, eo quià forſan, quòd ad officia aſſumpti non fuerint, ſub mentita Zeli ſpecie contra Superiores ſuos litigando, & communem Pacem dictæ Congregationis turbando eaſdem Vrbani prædeceſſoris litteras ad alia etiam officia in illis minimè expreſſa à Congregatione Ven. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, extendi procurauerint, & amodò in dies maiorem, & maiorem litterarum extenſionem nouis litigijs quærere non deſiſtant cùm grauiſſimo præiudicio ſupradictę ſuæ Congregationis, quę attenta tàm ampla extenſione vacantiæ ad officia, ob tantam multitudinem Religioſorum vacantium, neceſſariò imperitos, incapaces, & indignos in Superiores eligere cogatur, prædictus verò Ioannes Iacobus Procurator, & Commiſſarius Generalis, deplorabilem memoratæ ſuę Congregationis Ruinam præuidens, ac vi officij ſui impedire cupiens, prædictas quidem litteras per nos confirmari, prætereà, ne vllus in poſterum ſub quocumque colore, aut prætextu extenſionem ad alia quæcumque ſiuè per deputationem, ſiuè per electionem, ſeù quocumque alio titulo venientia, vltra illa, quæ in litteris huiuſmodi exprimuntur, officia attentare, aut quomodolibet procurare præſumat, ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum prohiberi, ac demùm extenſiones quaſcumque contra expreſſum earumdem litterarum tenorem iàm factas annullari, dictaſque litteras ad primæuam ſuam obſeruantiam reduci plurimùm deſideret. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, vt in præmiſſis opportunè prouidere, & vt infrà indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Ioannem Iacobum Procuratorem, & Commiſſarium Generalem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutũm fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auditâ ſuper præmiſſis relatione per Dilectum Filium Secretarium eiuſdem Congregationis, vna cum Voto Dilecti Filij noſtri Ioſephi Renati eiuſdem S.R.E. Cardinalis Imperialis nuncupati prędicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris nobis facta, ac etiam motù, ſcientia, ac matura deliberatione ſimilibus præinſertas Vrbani prædeceſſoris litteras, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicę firmitatis robur adijcimus, ac alia officia præter illa, quæ in ſupradictis præinſertis litteris exprimuntur, nullo modo vacantiæ ſubiacere debere, quæcumque illa ſint, ſiuè per deputatio-


Digitized by Google

nem,ſiuè per electionem,ſeù quocumque alio titulo venientia,exceptis tamèn Definitoribus Prouincialibus Prouinciarum Italiæ iuxtà Decretum prædictę Cong. Cardinalium Anno M.DCC.IV. emanatum harum ſerie declaramus . Volentes , vt quæcumque derogatio harum noſtrarum litterarum in ampliſſima forma extendenda nullam vim, ac robur habeat, niſi in caſu,quòd ad petitionem Capituli Generalis obtenta fuerit . Decernentes eaſdem præſentes,& præinſertas litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere , & fore , ſuoſq; plenarios,& integros effectus ſortiri,& obtinere,ac ab omnibus,& ſingulis quos illę concernunt,& concernent quomodolibet in futurum cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis,& conditionis exiſtant, inuiolabiliter , & inconcuſsè obſeruari , nec non de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio,ſeù intentionis noſtrę,aut intereſsè haben. conſenſus,alioue quolibet quantumuis magno,& ſubſtantiali defectu notari,impugnari,infringi, retractari, aut in controuerſiam reuocari,aut aduerſus illas quodcumque iuris facti,vel gratiæ remedium impetrari , ſeù etiam motu , ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo,quempiam in iudicio, vel extrà illud vti, ſeù ſe iuuare poſſe , ſicque , & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios , & Delegatos etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quauis auctoritate fungentes , & functuros , ſublata eis , & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi , & interpretandi facultate , & auctoritate iudicari , & definiri debere , ac irritum , & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari . Non obſtantibus præmiſſis , nec non omnibus , & ſingulis illis , quæ dictus Vrbanus prædeceſſor in ſuis litteris pręinſertis voluit non obſtare,cæteriſque contrarijs quibuſcumque . Cæterùm pariter volumus , vt earumdem præſentium litterarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis , & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides habeatur , quæ ipſis præſentibus haberetur , ſi forent exhibitæ , vel oſtenſæ . Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xxvii. Septembris M. DCC. XXVII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto .

F. Card. Oliuerius .

ROMÆ , Typis Reu. Cam. Apoſt. 1727.

Concordat de verbo ad verbum cum ſuo Originali ; In quorum fidem &c.



Digitized by Google